

+ P. Henricus Bloete
(Prov. Belg.)

† R. P. Henricus Bloete.


(Prov. Belg.)

R. P. Bloete in collegio Rollariensi provinciae Belgicae nuper defunctus ante quattuor annos sacerdotale iubilaeum aureum celebraverat. Hac occasione venerabilis senex in allocutione affectu plena ipse divinorum erga se beneficiorum corde memor gratissimi animi sensus eructabat luculenter. Re quidem vera per longum vitae decursum R. P. Bloete miro modo divina assistentia est fruitus et largissimam Christi Domini benedictionem in opera sua obtinuit.

Henricus Bloete parentibus valde piis natus est Bruxellis die 7 aprilis 1844. Postquam studiis humanioribus et philosophicis in minore seminario Mechliniensi vacavit, seminarium maius in eadem civitate adiit, ut in studia incumberet theologica. Quibus expletis die 18 decembris 1869 ordinationem sacerdotalem suscepit.

Per duodeviginti menses parochi vicarium egit in pago Castre prope Hal; dein eodem munere functus est in oppido Diest, ubi novem annos in cura animarum laboravit pietate ac zelo eminens.

Expletis igitur decem in ministerio sacerdotali annis divinae gratiae ad maiora vocanti libenter obsecundans saeculum reliquit et Congregationem SS. Redemptoris ingressus est die 15 augusti 1879. Novitiatu peracto in fervore spiritus die 15 augusti 1880 Trudonopoli vota religiosa emisit. Secundo deinde novitiatu Bruxellis in collegio ad S. Ioseph peracto alteri collegio Bruxellensi S. Mariae Magdalenae dicato adscriptus est, sed iam die 4 augusti 1882 Rollarium ad B. M. V. de perpetuo succursu missus est, ubi usque ad mortem vitam egit.



Fuit autem P. Bloete egregius praedicator in missionibus popularibus. Multum et zelo indefesso praedicavit, per annos quadraginta duos apostolatam per totam flandricam Belgii partem exercuit, ita ut vix oppidum aliquod vel pagus alicuius momenti inveniatur, in quo verbi divini praeco non exstiterit. Optima valetudine praeditus (per quadraginta enim annos vix unquam morbo laboravit) vires omnes in animarum salutem generose impendit. Missionibus

315, renovationibus 117 interfuit, secessibus spiritualibus 753 praefuit. Alias conciones minores praetermittimus.

Laborum suorum et praedicationis mirum successum habuit, cum pectore illo praeditus esset, quod disertos facit oratores, ita ut frequentissime audientes ad lacrimas provocaret. Verbum eius simplex erat, vix ornatum praeditum, sine apparatu eloquentiae profanae, sed ita movens et captans, ut tam litteratis hominibus quam rudibus placeret. Actio oratoria erat vivida, persuasionis fidem spirans et zelum revelans ardentem, quo cor loquentis pro gloria Dei et animarum bono aestuabat. Ita verbo, gestu totaque sua persona sensus excitabat et movebat corda, ut veritas alte penetraret animos et peccatores etiam rebelles ad paenitentiam adduceret.

Magna erat in regione fama Patris Bloete; ad conciones eius currebant permulti, ad paenitentiae tribunal, ubi misericordiam ministrabat, semper ex omni genere assidebant numerosissimi. Ast magni huius missionarii labores non solum successus secutus est externus, sed solidior fructus ille conversionis, qui solus a viro apostolico desiderari debet. Inter gratias a Deo acceptas ipse uberrimos fructus conversionum notavit, quos laboribus suis rettulit. Quot animae per longum tempus ab omni religionis exercitio abhorrentes mediante eius praedicatione ad Dei amorem et servitium reductae sunt! Quot vitam christianam instituerunt novam post confessionem generalem, quam apud P. Bloete se fecisse gloriabantur! Multis in parochiis eius praedicatione ita commotus est populus, ut per

multos annos de eo loqui perrexerint et effigiem eius a quibusdam sponte pretio oblatam cum summa veneratione asservaverint. Vere memoria eius in benedictione erit, cum notus sit apud fratres ut magnus missionarius, devotus S. Alphonsi filius bonusque ac fervidus religiosus, apud sacerdotes, moniales fidelesque permultos ut sacerdos pius, confessarius egregius, animarum pater.

Si quis vero quaesierit, unde zeli eius indefessi tam magnus, immo extraordinarius successus sit repetendus, respondendum est Deum tantas largitum esse benedictiones, quia P. Bloete semper *ad Dominum gubernaverit cor suum*, ideoque a saeculi vanitatibus abhorrens carnem suam crucifigere non cessaverit et ab oratione continua animum non relaxaverit.

Nemini nostrum notum non est P. Bloete fere continuo gestasse cilia et inter omnes sodales emicuisse orationis amore. Quia sibi persuaserat orationem cum studio et labore efficacissimam esse, laborem vero sine oratione effectum carere, et ipse multum oravit et aliorum, piorum praesertim, orationes enixe semper postulavit. « Orate pro me! » « Orate pro felici missionis, secessus spiritualis exitu! ». Haec verba semper fere in ore habuit et ipse, quantum potuit, orationi indulgit. E peregrinationibus apostolicis domum reversus longas horas in oratorio coram Sanctissimo genuflexus duxit, ita ut omne tempus liberum in sanctuario divini amoris degeret. In missionibus autem tum sacerdotibus tum fidelibus magnae aedificationi erat ob insignem pietatem et in orando fervorem. Egregius ille orationis amor praesertim tempore belli apparuit, cum per tres fere annos domi manere cogeretur. Quod quidem tempus ei quasi una diurna oratio fuit. Ast nota vere peculiaris P. Bloete et quasi cardo vitae eius interioris devotio erga B. V. Mariam dici potest. Semper et intime devotus erat filius divinae huius Matris. Miro affectu eius laudes praedicans, quantum potuit, sanctuaria et imagines Virginis visitans, eius rosarium semper manu, ore et corde tractans, dolores praecipue Matris suae affectu tenerrimo recolens eius perpetuum succursum pro peccatoribus quasi assidue imploravit.

Nihil igitur mirum, quod Deus eius labores pro animarum conversione et salute impensos tam felici exitu coronavit.

Mense novembri 1922 P. Bloete ad ultimam suam missionem exivit. Ab hoc tempore sibi persuasum habuit, quod ipse etiam medicus affirmaverat, se semper in inopinatae mortis periculo versari. Et re vera aliquot hebdomadibus post circa horam quartam matutinam quasi extremum spiritum ducens in lecto deprehensus est et die 22 februarii 1923 a P. Rectore sacris morientium sacramentis refectus spiritum efflavit supremum in apparatu orationis et paenitentiae, rosarium prae manibus tenens et cilicio cinctus, tamquam servus fidelis in gaudium Domini sui intrare paratus.

R. i. p.!